

consecrant et addicunt. De qua oblatione diuus Paulus ad Romanos XII. et XV. praeclare scribit.²⁹³

5. Dona denique et munera dicuntur apud Irenaeum et reliquos Patres in coena Christi offerri, quando populus gratus existens erga Deum et liberalis
5 erga pauperes, etiam oblationes rerum solenniter adferebat, quae in pauperes sunt distributae.

Haec genuina Patrum sententia, qua vocibus oblationis et sacrificii in coena Christi sunt usi, non obscure potest in scriptis sanctorum Patrum animaduerti, quibus nihil aliud est offerre et sacrificare, quam commemorationem pas-
10 sionis et mortis Christi celebrare, quam panem et vinum in usum Sacramenti sanctificare, quam gratias agere Deo et orare Deum, quam seipsos consecrare Deo, quam denique dona et mune-[145:]ra tam panis et vini in usum coenae, quam aliarum rerum in usum pauperum adferre et comportare.

Sed posterior aetas Pontificum haec omnia pro dolor corrumpit et sacrificium
15 incruentum inde fecit pro viuis et defunctis, item opus operatum, utentis meritum, et, ut nihil dissimulemus, lernam omnium malorum. Talem draconis caudam, vel potius integram et horrendam bestiam, intus et foris venenatam, Ecclesiis in Domino repurgatis autor libri Interim obtrudere conatur, idque praetextu Scripturae et sanctorum Patrum, sed per Scripturae deprauationem
20 et malam testimoniorum ex Patribus citatorum applicationem, cum neque in verbis coenae, neque alias in Scriptura sacra, neque in Scriptis Patrum habeatur unum Iota de sacrificio incruento pro viuis et defunctis, aut quod Missa sit opus operatum etc.

VII. Septimo. Locum Malachiae plane torquet autor libri,²⁹⁴ non solum a vero suo intellectu, sed etiam in alienum ab expositionibus Patrum sensum, et Irenaei praecipue, quem citat Lib. 4. contra haereses cap. 32.²⁹⁵ Nam Irenaeus, ut locus ipse testatur, non Christum, nec corpus et sanguinem ejus agnouit esse oblationes et sacrificia ecclesiae (de quibus tamen autor libri Malachiae locum interpretatur). Sed [146:] munera illa fidelium, quae ad mensam
30 Domini in eucharistia offerebant, ex creaturis Dei, pane et vino, et caeteris rebus, quibus Christus in suis minimis esuriens et sitiens, ali a nobis, potari et recto recipi debet. Hanc elemosynarum oblationem in propheta Malachia vidit Irenaeus, et non illam, quam liber Interim exponit. Nam confert eam cum oblatione, quam Dominus a veteri populo requisiiuit Exod. XXXIV. et
35 Deut. XVI: „Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui.“²⁹⁶ Confert populum legis cum populo christiano, collatione seruorum et liberorum. Ostendit Malachiam reprobare legales et seruiles oblationes rerum et liberas in illarum locum restituendas, adeoque populum spontaneum ex

²⁹³ Vgl. Röm 12,1–8; 15,7.

²⁹⁴ Vgl. Augsburger Interim XXII, 115.

²⁹⁵ Vgl. Irenaeus von Lyon, Adversus haereses 4, 33 (SChr 100**, 804).

²⁹⁶ Ex 34,20; Dtn 16,16.